

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De divinae providentiae vestigiis in traditae Augustanae confessionis negotio

Crell, Heinrich Christian

Francofurti ad Viadrum, 1730

§II.

[urn:nbn:de:bsz:31-67545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67545)

§. II.

Si antiquorum Philosophorum sectas animo repetimus, quanto nisu, quanta contentione & studiis eas, quas altius investigando eruerant, veritates aliis tradiderunt & ad posterorum memoriam voce scriptisque transmiserunt, propugnarunt? adeo ut vel summi discriminis aleam subire, fortunarum omnium, imo vitæ ipsius jacturam pati, quam deferere intellectæ veritatis sacra, maluerint. Si vero demum primitivæ Christianorum Ecclesiæ faciem contemplantur, tanto animosiores divinæ veritatis martyres deprehendimus, quanto fortiora sunt præsidia, & munimenta, quibus suos instruit confessores sanctior religio. Quanta in illa ætate testium nubes oculis offunditur? qui sub Ethnicorum Imperatorum tyrannide dirissimas magno animo sustinuerunt insectationes, libentes pronique collum securi subjecerunt, sanguinem, vitam, spiritumque divina *παρρησία* profuderunt, ut ingenue modo Christianorum dogmatum profiteri divinitatem, & extremo saltem halitu testari liceret, quod, si vel lapsus illabatur orbis, impavidos feriant ruinæ.

§. III.

Eadem animi magnitudo, & imperterrita indoles animavit *Illustres Confessores* nostros, qui jam abhinc ante *ducentos annos Augusta Vindelicorum in solemnibus Imperii Comitibus CAROLO V. Imperatori suæ fidei, & quæ de summis religionis momentis ex S. Scriptura hauserant, dogmatum masculam confessionem ediderunt. Cuius rei memoria cum felicissimo fidere, post alterius seculi auspiciatissimum decursum denuo hoc tempore restauretur, & per omnes, quæqua patet, Evangelicæ Ecclesiæ cætus piis consecretur plausibus, nostræ erit pietatis, & Scholam hoc in Deum gratisimi animi defungi officio, & argumentum meditari, quod tantæ rei dignitati vel ex parte respondeat. Quod omnium consultissime assequi videmur, si illius temporis, quo tradita fuit Augustana Confessio, rationes, divinæque providentiæ in*
tanto